

R. PATER MARTINUS


XI^{us} PRIOR CARTUSIÆ

Annus Christi 1234; Institutionis Ordinis 149.

REVERENDUS Pater Dominus Martinus professus almæ Cartusiæ, tunc præerat angelicæ casæ Portarum, cum ad supremum electus est oneris et honoris Cartusiensis culmen, sub pontificatu Gregorii IX, imperio Balduini, et regno sanctissimi Ludovici IX. Erat noster Martinus vir scientia, pietate, sanctitate clarissimus, in eoque relucebat humilitas singularis, caritas admirabilis et autoritas augustalis. Is gentilitium insigne, anno 1239, Domui Cartusiæ tribuit ex orbe supposita cruce compositum : quod adhuc integrum incorruptumque servat sancta eremus, cum sola cruce antiquitas uteretur. Monumentum ære perennius, et rite Cartusianæ constantiæ conveniens sic explicatum.

Crux stat dum volvitur orbis, et

SIGILLUM PARVUM
QUO UTITUR COR-
RERIUS CARTUSIÆ.



Mundo inconcussa supersto.

Martino Cartusiam regente, et VII Calendas Decembris anni 1241, altissimus mons qui est supra Asperum-montem (Aspremont), disjunctus ab altero, cadens vallesque coarctans, quinque ecclesias circa Faurasium Cartusiæ cellarium cum infinita populi multitudine operit : a Sancti scilicet Andreae Sabaudia decanatu (et ipse Prior periit simoniacus) ad capellam (quæ nunc